



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCII. De Conversione cujusdam Sudowitae & mirabili facto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hartmannus C. de Heldrangen VIII. Mag. Gener. Ord. Teut.*

*Mangoldus de Sterenberg XI. Magister in Prussia Provin-*

& familiam captivavit, sic quod Sudovvitæ hic plus perdidernit,  
quam in Sambia sunt lucrati.

## ANIMADVERSIONES.

(a) Chronicon Germanicum MS. antiquum in 4. habet CC.

(b) Idem Chronicon habet CC.

## CAP. CCI.

*Bello Fratris Ulrici contra Sudovvitæ.*

**H**ic frater Ulricus totus fuit magnanimus. Audebat enim aggredi ardua facta, quæ meticulosus inspicere formidabat, multa & infinita damna intulit Sudovviris, totiens contra eos bellum movit, quod Magister timens ex hoc sibi aliquid notabile periculum evenire, prohibuit eum ne de cætero ipsos impugnaret sine sua licentia speciali. Et cum quæreretur ab eo quare sic infestus esset ipsis? Respondit, non curarem quid agerem, ut possem vulnerari ab eis V. vulneribus, sicut Christus pro me fuerat vulneratus; & sic factum fuit ei, quia Sudovvitæ tandem ipsum in bello vulnerantes, V. vulneribus occiderunt.

## CAP. CCII.

*Conversione cuiusdam Sudowitæ & mirabilifacto.*

**H**oc tempore quidam Nobilis Sudovvita dictus Russigenus

cum omni Domo & familia venit ad Commendatorem de

Nn

Balga

*Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teuton.*  
*Mangoldus de Steenberg XI. Mag. Pruss. Provinc.*

Balga & cum vellet interesse (a) divinis , prohibitus fuit ; Cujus Prohibitionis causa cognitâ, baptizatus fuit cum omni familia sua, & statim post baptismum incepit infirmari , positusque ad lectum misit pro quodam fratre Sacerdote de Balga , qui ipsum baptizaverat, petens ab eo humiliter, ut ipsum in fide Christi informaret, quod ipse Sacerdos cum omni diligentia adimplevit & circumspiciens vidi de lignis factum ad pedes ipsius signum Crucis, quod ipse Sudovvita sibi jusserrat præparari ; de quo Sacerdos admirans, quod talis eodem die baptizatus tantam ad fidem Christi gratiam haberet ; cœpit inquirere utrum ante susceptam fidem aliquid boni egisset ? Respondit , quod multos Christianos interfecisset, de aliquo bono facto nihil sciret, præter hoc solum , quod dum ipse cum magno exercitu intrasset Poloniā, quidam Sudovvita imaginem B. Virginis Mariæ cum filio in gremio gerentem deportavit, & in reditu dum cum lanceis suis ad dictam imaginem sagittarent , ipse de hoc dolens, violenter rapuit & cuidam Christiano dedit dicens : Accipe imaginem istam Dei tui & reporta ad locum, ubi in reverentiâ debitâ habeatur : Quo facto apparuit ei B. Virgo in specie & habitu pulcherrimo in somnis & dixit, hoc obsequium quod mihi fecisti in imagine mea, tibi in regno filii mei refundetur ; Quod cum ipse Sudovvita sacerdoti retulisset, statim quasi eodem die in Domino feliciter obdormivit.

## ANIMADVERSIO.

(a) Quemadmodum Ethnici alias non suæ Religionis homines à sacris suis arcebant, secundum illud Virgilii Æneid. 6. *Procul o Procul esse prophani* ( quod etiam de Prussis gentilibus refert Helmoldus l. i. *Chron. Slav. cap. I.* ) sic è contrario Christiani antiquitus cavarabant, ne Ethnici ad sacra spectanda admitterentur. Sed & ipsi Catechumeni dimitti solebant antè S. Eucharistia celebrationem.

Vid.

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ordinis Teut.

Mangoldus de Sterenberg XI. Mag. Prov. Prussiae.

Vid. Gabr. Albaspin. lib. I. observ. XIX. num. V. p. 91. lib. I. obsf. I. num. V. p. 121. obsf. II. num. V. p. 131. & in Comment. ad Concilii Elberini Can. XVIII. ubi de moribus Christianorum in sacris agit. De Ethnicis verò videatur Barnabas Brisson. lib. I. de formulis. & Petr. Georg. Tholosan. lib. XXXI. Syntagm. Jur. cap. VIII. Ad Ethnicismum redeuntes quomodo cruciferi ejecerint. Vid. Diploma Nuncii Pontif. 1249.

## CAP. CCIII.

*De*

### Ædificatione Castrī Mergenberg.

Anno MCCLXXX. castrum Santirii mutato nomine & loco  
<sup>(a)</sup> translatum fuit ad eum locum, ubi nunc situm est, &  
 vocatum nomen ejus <sup>(b)</sup> Mergenburg i. e. Castrum S. Mariæ, ad  
 cuius laudem & gloriam hæc translatio facta fuit.

#### ANIMADVERSIONES.

AD CAP. CCIIH.

(a) Santirium situm erat eo in loco ubi Vistula & Nogadus confluunt:  
 Nunc verò Mariæburgum ulterius versus Septentrimonem ad No-  
 gadum amnem jacet.

(b) Constat ex hoc Capite Santirium tum fuisse solo æquatum, arcemq;  
 Mariæburgensem veterem fuisse conditam. Cum deinde Sigefridus à Feuchtwangen Magister Generalis in Prussiam sedem  
 suam transtulisset, arx Mariæburgensis digna visa est, in qua tan-  
 tus Princeps domicilium suum figeret. Subsecutis temporibus  
 tantopere est amplificata, ut inter præcipuas orbis terrarum arces  
 numeraretur, quod sequenti versiculo Germanos indicare voluis-  
 se, testatur Hennebergerus: Mergenburg *ex luto*; Offen *ex Saxo*;  
*ex marmore* Meyland. Fidlerus etiam Poeta Regiomontanus  
 sic de illa arce :

*Fundamenta latent domibus camerata pro fundis,  
 Firmior Arctoo nulla sub axe jacet.*

Nn 2

Hodie

